

Quae ratio inter Platonis Menexenum et Lysiae laudationem
sive epitaphium intercedat,

Disputatio.

Scriptit

Vitus Loers, Dr.

Est haec multorum virorum doctorum, qui nostris temporibus de Platonis Menexeni ratione atque consilio disputarunt, opinio, hunc libellum non omnino, ut olim vulgo existimabatur, contra pravam consuetudinem oratorum Atheniensium, qui laudationes super caesis in bello et proelio civibus publicas haberent vel scriptas ederent, sed contra unum, qui hodie exstat, epitaphium Lysiae, illustrissimi oratoris, scriptum atque conversum esse. Sic enim statuunt ac iudicant, Platonem, quemadmodum in Phaedro suo Lysianae sive orationis sive disputationis sive epistolae acerbam censuram fecisset, artemque ac dispositionem et dicendi genus vehementer reprehendisset, ac duas novas copiosiores artificioseque compositas et adornatas ac philosophiae praeceptis tinctas orationes opposuisset: sic in Menexeno eiusdem oratoris epitaphium acerrime perstrinxisse pravumque illius consilium vitiaque dicendi patefecisse atque vituperasse. Quae quidem sententia apud nos a Wielandio in Museo Attico et Schleiermachers in interpretatione sua Platonis operum Germanica aliisque obiter iacta et enuntiata aut leviter probata nonnullis abhinc annis copiosum sane nacta est oratorem, C. Schoenbornium, qui peculiari libello qui inscribitur: *Ueber das Verhältniss, in welchem Platon's Menexenus zu dem Epitaphius des Lysias steht*, eam planius explicare novisque argumentis fulcire atque confirmare conatus est. Huic et in toto et in singulis partibus assentitur doctus Platonis doctrinae et artis orationisque apud Germanos indagator et interpres, G. Stallbaum, in censura sua illius disputationis Schoenbornii: quamquam idem in prolegomenis editionis suae Platonis ita de hac re disputavit, ut Platonem

Menexenum suum laudationibus rhetorum opposuisse, in his autem imprimis Lysian respexisse et notasse affirmaret. Neque negari potest, multa ac varia a Schoenbornio ad illam sententiam probandam atque evincendam non sine ratione ac specie probabilitatis esse collata. Verum si quaerimus, quousque res huius viri probatione et superiorum illorum affirmatione provecta sit, non modo non confecta et absoluta sed propemodum adhuc integra esse videtur. Pleraque enim, quae ad id confirmandum in medium allata sunt, acrioris criticae lucem minime sustinere valent, et curatius si aestimes ac ponderes, aut longe repetita aut prorsus falsa et commentitia esse videntur. Alia quoque sunt compluria, quae ei sententiae plane repugnant: quae illi docti aut non satis adverterunt aut scientes et prudentes, quod ulcus tangere nollent, silentio praetermiserunt. Itaque non inutilis esse videtur labor ea omnia, quatenus angusti huius scriptionis fines id patiantur, diligentius retractare, qua opera simul nonnihil ad duo illa stripta illustranda rectiusque intelligenda conferri putamus.

Jam primum illud perspicuum est, quod Socrates in ipso dialogo, h. e. in Menexeni parte dialogica, in epitaphiis sive laudationibus cavilletur atque vituperet, id omnino univarse pronuntiari: ut omnis illa reprehensio et irrisio de toto genere orationum, quae in eo argumento versarentur, ac de omni illorum oratorum turba intelligi debeat. Nisi igitur vim inferre orationi novumque et alium quam et verba declarant et contextus ratioque sermonis requirit sententiam subiicere volumus; ad unum quendam certum sive Lysian sive alium quemcunque referri vix potest. Neque distinctius in Lysian dicta sunt ea, quae a Platone ipsa oratione sua in iisdem laudationibus vituperari putantur. Notissimum quidem est artificium dicendi, quo saepe id, quod de uno intelligi volumus, ita declaramus, ut de compluribus aut de omnibus dicere videamur, sive cavillandi et iocandi caussa sive ut vituperationis acerbitatem mitigemus sive ut irae et calumniae opprobrium devitemus. Sed nulla certa istiusmodi indicia consilii in toto Platonis libello reperiuntur. Quis enim non videt eum, hoc si in animo habuisset, ita orationem suam conformare oportuisse, ut ipsum Lysian alicubi describeret aut aperte designaret, certe, si hoc nollet, ut totam eius orationem vel singulas eius partes et dicendi modum et vitia maxime insignia percenseret, efferret, corrigeret et ubi visum esset, cavillaretur et illuderet. Aliter enim fieri non poterat, ut ille unus in quem orationem intenderet, inter tot tales oratores ab legentibus satis internosceretur: nam magnam illorum oratorum fuisse multitudinem tum a Platone, Lysia, Thucydide et aliis auctoribus proditum, tum ex eo probabilis coniectura est, quod non solum quoties cives in bello caesi essent sed etiam quovis anno statuto in memoriam omnium qui unquam pro patria occubuissent die ac festo laudatio sive epitaphius haberi solebat. At nusquam vel ullo verbo ipsi Lysiae allusit, ac tantum abest, ut conspicua et insignia eius vitia dicendi percenseantur ac vituperentur, ut vix unicus reperiatur locus, quo illum oratorem significari aut perstringi pro certo affirmari possit.

Quod si isto modo tota res debilis atque suspecta esse videatur, illud, quod gravissimi in hac quaestione est momenti, accedit. Constat Platonem in scriptis suis haud parvam multitudinem aequalium aut eloquentiae ac sapientiae studio aut civitate admi-

nistranda atque procuranda nobilium cavillari. Quot philosophos, quot sophistas, quot oratores illius ironiae ac dissimulantiae Socraticae aculeis pupugit atque perstrinxit. Sed nusquam illud timide fecisse reperimus, nusquam oblique et abdite sed ubique palam et aperte sic, ut nominibus compellare non haesitaret vividissimisque coloribus describeret atque depingeret pravosque eorum mores, studia, artificia, arrogantiam, iactantiam, inscitiam summa cum libertate aperiret atque notaret. Quid, quod ipsum Lysian, ut supra dictum est, in Pbaedro propter orationem suam de amore et nomine vocatum et multis sane ac gravissimis reprehendit; licet in illo libro vel non addito nomine, quum tota oratio ad verbum citaretur, quis auctor intelligendus esset, incertum aut obscurum esse non posset. Num quid igitur arbitramur eundem Platonem in hoc uno libello ita prorsus a se ipso et consuetudine sua descivisse, ut hunc ipsum Lysian, quem in Phaetro pessime omnium habuerat, tam segniter tamque occulte tetigerit, ut non modo nomen citare, sed nusquam vitii quidquam, quod eum unice attingeret et proprium ei esset, proferre auderet? Opponitur quidem, quod ad illud quod nomen Lysiae non vocarit, minime id necessarium fuisse: Menexenum enim statim post Lysiae laudationem editam, quae eum scribendi causa fuisset, esse compositum: ut quum Lysiae oratio recenti adhuc memoria fuisset, quilibet statim, contra quem haec dicta essent perspexisset. Verum de tempore quo Menexenus scriptus sit, nihil constat, quo illud pro certo possit evinci, immo probabile est eum aliquot annis post Lysiae laudationem esse compositum, quum iam nonnulli alii oratores intercessissent, ut quicquid in Lysiae oratione placuerat aut displicuerat interiecto tempore paene exolevisset. Sed ut hoc concedatur, alterum integrum tamen adhuc est, quod non aperta et Lysiae propria vitia reprehenderit, quo vel sine nomine eius ratio et oratio agnosceretur. Quod ne affirmare magis quam probare ac demonstrare videamur, singula, quae ad confirmandam illam sententiam allata sunt, diligentius contemplemur.

Primum Schoenbornius collato utriusque orationis argumento et ordine Lysian propter singularem quandam confusionem rerum et quod apta dispositio desideretur, vituperat. Quare Platonem existimat ordinem orationis suae in exordio tam diserte ac lucide proposuisse atque extulisse, quo suam rationem Lysianae in hac parte opponeret, eumque non expressis quidem verbis sed re et exemplo reprehenderet atque corrigeret. Confusionem autem apud Lysian esse tantam, distributionemque tam temerariam, ut in eam idem, quod in Phaetro in illa de amore oratione philosophus vituperet, iure transferatur. Quo quidem iudicio, si quid ego video, nihil cogitari potest levius. Verum quum ea quaestio ad interiorem et accuratiorem Lysianae orationis intelligentiam pertineat, paululum digrediendum nobis erit atque ordo illius de novo pertractandus. Quare primum totam distributionem ac dispositionem proponamus; sed non qualis adhuc sive cupidius sive levius exhibitus est, sed emendatiorem ac pleniorum quaeque omnes partes earumque nexum et continuationem complectatur. Lysiae oratio omnis, si exordium excipias, commode in duas vel in tres dividitur partes. Duas si facimus partes, altera et maior quidem continet laudem et expositionem rerum ab Atheniensibus praeclare gestarum, altera conclusionem ac finem de morte illorum civium, qui apud Corin-

thum in proelio occiderant. Alteram distributionem si sequimur, tribus ea continetur capitibus, quorum primum complectitur expositionem rerum fabulosae vetustatis, alterum rerum Atheniensium inde a bellis Persicis narrationem, postremum conclusionem de iis, qui Corinthiaco bello caesi erant.

A. *Exordium*. Difficile est, de virtute virorum, qui hoc loco (in publico sepulcro in Ceramico) sepulti sunt, digne dicere. Quanquam nunc contentio est non tam cum gravitate et gloria rerum, quas illi gesserunt, quam cum superioribus oratoribus qui super illis dixerunt. Tot enim tantaque sunt illustria eorum facinora, ut quemadmodum superiores oratores pulcre de iis dixerunt, ita posterioribus omnibus largam ad laudandum materiam suppeditent. § 1. 2.

B. Itaque primum res illustres maiorum (*τῶν προγόνων*) fabula et fama traditas atque conservatas, commemorabo. § 3. Amazones, Martis filias, bellicosimum et adhuc insuperabilem mulierum exercitum, quae virtute et armis omnes gentes prosternerent, maiores nostri gloriosa victoria iusta pugna ad unam omnes ceciderunt. § 4—6. Deinde in causa iustissima et piissima Thebanis auxilium tulerunt, Argivos, qui eos infesto bello premerent, devicerunt idque propter quod bellum susceperant, feliciter exegerunt. § 7—10. Posteriore tempore in iustissima rursus causa pro Heraclidis supplicibus, contra totam Peloponnesum, quae eos armis urgeret, bellum susceperunt et Heraclidis in libertatem vindicatis Eurystheum merita poena affecerunt. § 11—16. (Jam hunc orationis locum de rebus fabulosis aptissima digressionem concludit.) Multa igitur pro iustitia maiores nostri pericula sustinuerunt. Namque ipsa eorum primordia iusta fuerunt, neque enim alienam terram eiectis incolis vi occuparunt, sed inquilini fuerunt, atque omnium primi domi aequalitatem iuris et iustitiam instituerunt. Itaque non solum patres illorum qui hic siti sunt, multa praeclara in iustissimis bellis gesserunt, (sc. quae modo exposita sunt), sed multo maiora et immortalia qui hoc loco iacent eorum filii. § 17—19. (Quo apta transitio fit ad alteram narrationis partem, ad res gestas non fabulosas sed historia illustres, ad Persica bella. Atque ea digressio eam quoque ob causam percommoda et elegans est, quod sic non solum fabulosa illa ab iis rebus, quae historiae luce clarae et apertae sunt, secernuntur atque apte concluduntur, sed etiam efficitur, ne continente serie rerum gestarum lectores sive auditores fatigentur. Igitur iam ad Persica bella accedens pergit): Namque illi soli pro communi Graeciae libertate ac salute contra innumerabiles barbarorum copias pugnare ausi sunt. Itaque cum Persarum exercitus Graeciam more procellae inundasset et ad Marathona prorupisset, illustri reportata victoria eos fuderunt. § 20—26. Post haec quum Xerxes cum exercitu, quantus nunquam ante visus erat, Graeciam invaderet, classibus autem suis totum mare occupasset, Athenienses primum apud Artemisium vicerunt, atque deinde apud Salamina ipsorum potissimum opera illa victoria navalis illustrissima parta, Graeciaeque a barbaris liberata est. § 27—44. Deinde eorundem consilio et opera Graeci Persis apud Plataeas obviam iverunt, pugnaque commissa Europae libertatem confirmarunt, itaque Athenienses operi splendidissimum finem imposuerunt. καὶ ὑπὸ πάντων ἠξιώθησαν, καὶ μεθ' ὧν ἐκινδύνεον καὶ πρὸς οὓς ἐπόλεμον, ἡγεμόνες γενέσθαι τῆς Ἑλλάδος (Quibus verbis eleganter concludit Per-

sica bella.) § 44—47. Quum posteriore tempore aemulatione et invidia in civitatem Atheniensium bellum inter Graecos ipsos commotum esset, (scilicet eam partem inter Persica bella et Peloponnesium deligit orator, in qua Atheniensium virtus ac robur civitatis spendidissime eluxit), eodem tempore fuis pugna navali Aeginetis Aeginam oppugnarunt et in Aegypto bellarunt, et Corinthios, quum eos aliis bellis occupatos putarent et hac occasione utentes eos invasissent, splendida victoria superarunt. § 48—53. (Jam quum historia Atheniensium civitatis a pugna illa cum Corinthiis usque ad Peloponnesium bellum singula facta quae imprimis memorabilia essent, non haberet, eleganter conversa oratione pergit). Non possum omnia singula narrare, quanta cum virtute, ac probitate principatum tenuerint, aliarum civitatum iura sustinuerint, ipsi suam auxerint, barbaros a Graecia propulerint itaque principatu sese dignos et idoneos praestiterint. § 54—57. (Nunc ad belli Peloponnesii infelicem exitum et ad Thrasybuli nobile factum apte transiliens pergit.) Quid? quod et in adversis rebus et civitatis calamitatibus virtutem suam ostenderunt. Nam post illam cladem ad Aegos flumen brevi iterum existerunt sospitatores Graeciae. Nam cum Persarum potestas in perniciem Graecorum cresceret; illi immortalem gloriam adepti sunt, qui in Piraeo fortiter contra oppressores patriae pugnarunt et muros et libertatem sine omni ultione et ira in adversarios restituerunt. § 61—65. In quo bello etiam peregrini et hospites cum nobiscum pro eadem iusta causa pugnantes ceciderint, digni sunt qui cum laude commemorentur. § 66.

C. Qui autem nunc sepeliuntur, Corinthiis auxiliati, apud universos homines virtutis laudem immortalem adepti sunt, quum pro libertate ipsorum hostium ac totius Graeciae magnitudine fortiter pugnantes ceciderint. § 67. 68. Itaque exitus eorum gloriosus et invidendus est: nam virtute sua patriae multorum bonorum auctores fuerunt et apud superstites iustum ac perpetuum luctum ac desiderium sui reliquerunt. § 69—74. Quare iustum est, hanc illis a patria gratiam tribui, ut parentes eorum honore et cura habeat, liberis sit parentum loco et uxoribus debitam et opem et curam tribuat. § 75. 76. Nam quod ipsos attinet mors eorum minime lugenda est. Communis enim conditio naturae est mori; ut potius felices praedicandi sint, quod tam beatum finem habuerint. § 77—80. Nam immortalis eorum memoria, ac laus carminibus celebratur, ac sepultura insigniuntur publica, et ludis festisque, quemadmodum ipsi di immortales, ornantur et honorantur. § 81.

Quodsi hanc orationis dispositionem intuemur, vix ordo rerum cogitari posse videtur et aptior ac simplicior et conspectu faciliior ac lucidior, nihil non suo loco est, ne unica quidem sententia, nullus locus turbatus aut confusus, nullus praeposterus aut ipsa tractatione perplexus atque impeditus. Illud adiungo, quod nemo non videt, in tota prope oratione ordinem rerum iam ipsa ratione temporum quibus acciderant, quem orator sequi debebat, fuisse fixum ac statutum. Atque talis cum oratio sit, tantam esse confusionem censuerunt atque perturbationem rerum, ut Phaedri illum locum p. 264. A. in eam merito transferretur, quo Socrates, postquam exordium Lysiae orationis de amore reprehendit, sic pergit: *Quid, reliquae orationis partes nonne temere videntur proiectae esse? an ratio apparet, cur quod secundo loco dictum est, hoc secundo oportuerit*

dici vel aliud quippiam eorum, quae dicta sunt? mihi quidem, quippe qui nihil sciam, visus est haud timide quicquid in mentem venerit dicere scriptor; tu vero num tenes aliquam rationem oratoriam, quae scriptorem, ut haec illo ordine iuxta poneret, impulerit? Verbum non amplius addam. Illud modo addam, falsum esse atque ineptum commentum, Platonem Lysian propter confusionem rerum vituperasse, aut omnino ex hac parte eam quicquam, quod vituperandum sit, continere.

Apte quoque ac simpliciter singulae orationis partes iunctae atque connexae sunt. Neque vero in hac re Lysian vituperasse Plato putandus est, quod nonnullae partes verbis ὑστέρῳ δὲ χρόνῳ iungantur. Nam illa coniunctio et naturae rerum, quae narratur, accommodata est et vero etiam simplicitati orationis conveniens, atque eadem vel simillima ipse quoque Plato in earumdem rerum narratione utitur. Valde autem mirandum est, quod Lysian ob illud reprehendunt, quod non appareat cur de tot rebus gestis Atheniensium orator has potissimum delegerit. Nimirum Lysias, suscepto munere civitatem illa opportunitate laudandi ita perfungi volebat, ut maxime memorabilia facta tam e fabulosa vetustate quam posteriorum temporum, quibus civitas praeclaram fortitudinem ostendisset et cives pro patriae salute et honesta causa cecidissent, oratione complecteretur: quod et illi solemnitati aptissimum erat et, ut ex ipso exordio apparet, usu atque consuetudine prope fixum atque statutum. Idque tam scite et eleganter executus est, ut nullum imprimis memorabile factum quod eo pertineret, omiserit aut non memoraverit, nec ullum, quod non eo praecipue pertineret, addiderit.

Denique etiam ex diversitate utriusque orationis exordiorum coniecturam sumsisse diximus, Platonem ipsum quoque Lysiae exordium vituperare voluisse. Ac simplex Lysiae exordium modo vidimus; Socrates ita orditur: Ἔργῳ μὲν ἡμῶν οἷδ' ἔχουσι τὰ προσήκοντα σφίσιν αὐτοῖς, ὧν τυχόντες πορεύονται τὴν εἰμασμένην πορείαν, προπεμφθέντες κοινῇ μὲν ὑπὸ τῆς πόλεως, ἰδίᾳ δὲ ὑπὸ τῶν οἰκείων, λόγῳ δὲ δὴ τὸν λειπόμενον κόσμον ὃ τε νόμος προσιᾶται ἐποδοῦναι τοῖς ἀνδράσι καὶ χορῇ. ἔργων γὰρ εὖ παραχθέντων λόγῳ καλῶς ἡρθέντι μνήμη καὶ κόσμος τοῖς πράξασι γίνεται παρὰ τῶν ἀκουσάντων. Αἰὲ δὴ τοιοῦτου τινὸς λόγου ὅστις τοὺς μὲν τετελευτηκότας ἰκανῶς ἐπαινέσεται, τοῖς δὲ ζῆσι εὐμενῶς παραινέσεται, ἐγγόνους μὲν καὶ ἀδελφοῖς μιμεῖσθαι τὴν τῶνδε ἀρετὴν παρακλυόμενος, πατέρας δὲ καὶ μητέρας καὶ εἴ τινας τῶν ἄνωθεν εἶτι προγόνων λείπονται, τούτους δὲ παραμυθούμενος, κ. τ. λ. Igitur alio Plato exordio quam Lysias quum usus sit in quo singulas, quas tractaturus oratione sit partes, exponit, hanc rationem secutum volunt, ut Lysian eo notaret ac reprehenderet quod in initio de consilio et ordine orationis suae nihil dixerit, itaque significare voluisse, Lysianam rationem esse damnandam. At diversa possunt esse exordia et tamen in suo quodque genere et apta et elegantia. Elegans est exordium Platonis, praecipue primae sententiae, non infitiandum est; quanquam erit, cui illa declaratio singularum partium in initio, quam h. l. critici apud Lysian requirunt, nonnihil scholae umbram et artificium sapere videatur, quod auctore quidem Cicerone vitandum est. Verum aptum quoque est exordium Lysiae; qui cum a magnitudine rerum Atheniensium quas orator celebrare deberet esset exorsus, et nihil aliud nisi illas res exponere vellet ab tali exordio ad ipsas illas res exponendas sta-

tim transgreditur. Neque tamen ordinem orationis suae in exordio non significavit: dicit enim, se de praeclaris rebus gestis dicturum; deinde pergit, primum se de vetustis ac fabulosis dicturum. Igitur Lysias in exordio duas proponit orationis partes, alteram rerum vetustarum, alteram recentiorum, quem quidem ordinem etiam probe servavit illasque duas partes apta digressionem distinxit. Itaque nec dispositionem, neque vero quod initio ordinem rerum tractandarum, quem secuturus esset, non accurate praefixerit, Plato potuit vituperare aut voluit. Quamquam illud nunc non quaeritur, quid Plato dicere aut voluerit aut potuerit, sed in eo omnis quaestio versatur, quid vere dixerit aut manifesto significaverit, quod quidem ad Lysiam pertineat. Illud adiungo, neque Pericleam apud Thucydidem eximiam orationem, quae Platoniam et varietate et copia rerum longe superat, certe aequat, licet in eodem prope quo Platonis, si partem de rebus gestis Atheniensium excipias, argumento versetur, tale exordium, quale Platonis, habere: ut vituperatio Platonis si ulla esset, eodem et maiore iure ad Thucydidem referri posset. Sed in eo loco nihil vituperationis continetur, sed merum est inventum grammaticorum.

Lysiae vituperationem etiam eo contineri censuerunt quod Plato res gestas Atheniensium brevius atque compendiosius tractaverit, ab Lysia pluribus et uberius explicatas. Verum num longius aut brevius in rebus gestis Lysias exponendis versatus sit, non quaerendum est neque vero quaesivit Plato. Illud unice quaerendum ac spectandum, an eleganter, copiose, ornate, apte illi tempori, illis hominibus, illi loco, omnino ut bono dignum ac decorum oratori erat, de iis sit locutus, quod quis est, qui negare audeat. Quod autem Plato brevior in iisdem rebus narrandis fuit, quam Lysias, et magis eventus earum extulit, fecit quod oratori, qui tam multa tamque varia una complecti oratione vellet, faciendum erat. At eleganter quoque Lysias, cum pauciora tractare instituisset orationemque suam fere intra illam rerum illustrissimarum expositionem continere vellet, in iis locis longior fuit, qui tam secundam oratori materiam praeberent ornate, copiose ac probabiliter dicendi civitatemque, quo tales orationes unice spectare debebant, ornandi. At cur Plato in hoc genere a Lysia tantopere discrepat, aliamque tractandi viam secutus est? malim quaeri, cur omnino scripserit Plato? Quis enim non videt, Platonem si post Lysian probari et commendationem inventionis et novitatis, omnino boni oratoris, adipisci aut tueri vellet, alium modum eandem materiam tractandi invenire oportuisse. Itaque cum ab Lysiae ratione et ipsa bona et apta discederet, non tantopere illius oratoris facundiam vituperavit aut suspectam fecit, quam vel maxime servavit suam.

Quodsi haec omnia, quae omnino de exordio, de dispositione, de argumento orationis eiusque explicatione in vituperationem Lysiae prolata sunt, firmo fundamento carent neque quicquam continent, quod suspicionem habeat, Platonis Menexenum unice ad Lysian cavillandum atque vituperandum spectare; non magis ea quae e singulis sententiis ac dictionibus repetita sunt argumenta probare eam atque confirmare videntur. Atque illa quoque, quae quidem graviora sunt, paullo diligentius spectemus atque excutiamus.

P. 238 C. Ed. H. St. Plato civitatis Atheniensium disciplinam collaudat his verbis:

Ἡ γὰρ αὐτὴ πολιτεία καὶ τότε ἦν καὶ νῦν, ἀριστοκρατία, ἐν ἣ νῦν τε πολιτευόμεθα καὶ τὸν αἰὶ χρόνον ἐξ ἐκείνου ὡς τὰ πόλλα. καλεῖ δὲ ὁ μὲν δημοκρατίαν, ὁ δὲ ἄλλο ὃ ἂν χαιρη — καὶ ἄρχει. Qui quidem locus haud dissimilis Thucydidis verbis L. II. c. 37. Χρῶμεθα γὰρ πολιτεία οὐ ζηλοῦσθι τοὺς τῶν πέλας νόμους, παράδειγμα δὲ μᾶλλον αὐτοὶ ὄντες τιπὶ ἢ μιμούμενοι ἑτέροισ. Καὶ ὄνομα μὲν διὰ τὸ μὴ ἐς ὀλίγους ἀλλ' ἐς πλείονας οἰκεῖν δημοκρατία κέκληται, μέτεστι δὲ κατὰ τοὺς νόμους πρὸς τὰ ἴδια διάφορα πᾶσι τὸ ἴσον, κατὰ δὲ τὴν ἀξίωσιν, ὡς ἕκαστος ἐν τῷ εὐδοκίμῳ, οὐκ ἀπὸ μέρους τὸ πλεῖον ἐς τὰ κοινὰ ἢ ἀπὸ ἀρετῆς προτίμαται, οὐδ' αὖ κατὰ πέναν, ἔχον δὲ τι ἀγαθὸν δοῦσαι τὴν πόλιν, ἀξιώματος ἀφαιεῖα κελώλνται. — De quorum locorum similitudine, quod obiter moneo, si dubium sit, quod Dahlmannus observat, Platonem Thucydidis illum locum respexisse, illud tamen apparet, eius orationem h. l. ab Thucyde colore duxisse. — In illo igitur Platonis loco suspicantur verbis illis: καλεῖ δὲ ὁ μὲν αὐτὴν δημοκρατίαν, certum quendam hominem, qui Atheniensium civitatem δημοκρατίαν (principatum popularem) appellasset, reprehendi atque notari. Atque certum illum in promptu habent. Lysian hunc esse dignum nota hominem existimant, qui duobus locis de δημοκρατία Atheniensium loquatur. Lysiae illos locos videamus. § 18. πρῶτοι δὲ καὶ μόνοι ἐν ἐκείνῳ τῷ χρόνῳ ἐκβαλόντες τὰς παρὰ σφισιν αὐτοῖς δυναστείας δημοκρατίαν κατεστήσαντο, ἡγούμενοι τὴν πάντων ἐλευθερίαν ὁμόνοιαν εἶναι μεγίστην, κ. τ. λ. § 61. Atque iterum: ἐκείνων δὲ τῶν ἀνδρῶν ἀξίον καὶ ἴδια καὶ δημοσίᾳ μεμνήσθαι, οἱ φεύγοντες τὴν δουλείαν καὶ περὶ τοῦ δικαίου μαχόμενοι καὶ ὑπὲρ τῆς δημοκρατίας στασιάσαντες, πάντας πολεμίους κερτιμένοι εἰς τὸν Πειραιᾶ κατήλθον, οὐκ ὑπὸ νόμον ἀναγκασθέντες, ἀλλ' ὑπὸ τῆς φύσεως πεισθέντες, καινοῖς κινδύνοις τὴν παλαιὰν ἀρετὴν τῶν προγόνων μιμησάμενοι. κ. τ. λ. Ut iam statim dicam, quid de illa ratiocinatione sentiam; falsum est hoc loco ullum a Platone reprehendi, falsissimum est, Lysian ob duos illos locos elegantes reprehendi; ac vera illius Platonici loci ratio atque sententia talis est. Δημοκρατία, h. e. principatus popularis, civitatis disciplina Atheniensium ut vere erat, ita ab omnibus vulgo appellabatur, atque ita eam ipsi Athenienses, ut omnem optimatum ac nobilium et paucorum dominationem perosi appellari volebant, et ipsi et in scriptis et in decretis publicis et ubique δημοκρατίαν, vel quod idem notabat, δῆμον vocare solebant; neque aliter oratores sine discrimine omnes, cum vel maxime civitatem laudarent, appellabant. Itaque eam appellationem in uno oratore h. l. reprehendere ne in mentem quidem inducere ullus potuit. Plato autem illo loco sive blandiendi causa sive quod probabilius et eius gravitate dignius, ut civibus suis in animum revocaret, quae mente haec civitatis disciplina a primis illis legislatoribus et conditoribus liberae rei publicae Atheniensibus data esset, nimirum ea, ut optimi et populi iudicio probatissimi viri dominarentur, appellavit principatum optimorum. Atque ut hanc rem efferret, vulgarem appellationem δημοκρατία iuxta novam illam, ab ipso tentatam, ponit vel ei opponit; quasi diceret: „Civitatis nostrae disciplina, si vero nomine vocare volumus, non est quam vulgo vocamus et vocari volumus, δημοκρατία; sed est ἀριστοκρατία sensu primitivo ac proprio, q. e. principatus sive imperium optimorum virorum.“ Quum igitur haec loci ratio et hic sensus sit, apparet hic de peculiari quadam Lysiae aut alius certi

cuiuscunque, quasi ille non recto nomine esset usus, vituperatione apud Platonem non esse cogitandum, uti neque Thucydides cogitavit, quum prope eodem loquendi modo, ut supra vidimus, uteretur.

P. 239. D. Plato virtutem ac fortitudinem Atheniensium in Marathonica pugna laudaturus orditur his verbis: *Αἰ δὲ αὐτὴν (τὴν ἀρετὴν) ἰδεῖν, εἰ μέλλει τις καλῶς ἐπαινεῖν* *), ἐν ἐκείνῳ τῷ χρόνῳ γενόμενον λόγῳ κ. τ. λ. Sequitur iam brevis descriptio, quam valde Persarum potestas sub tribus regibus, Cyro, Cambyse ac Dario creverit et quam crudelibus acceptis mandatis Datis dux cum exercitu a Dario in bellum contra Graecos et Athenienses missus sit. Quibus expositis superiora illa respiciens concludit: *ἐν τούτῳ δὲ ἂν τις γενόμενος γνοίη, οἷοί ἄρα ἐτύγχανον ὄντες τὴν ἀρετὴν οἱ Μαροθῶνι κ. τ. λ.* In hoc quoque loco tam simplici tamque sincero critici inesse putant vituperationem Lysiae. Plato enim, inquit, efferens adeo oratione sua, quomodo virtus Atheniensium spectanda sit, haud dubie aliam rationem ut pravam ac perversam notat atque vituperat: quanam autem illa sit, haud quaquam dubium esse potest, si Lysian in oratione sua statim ad Persica bella narranda transire videmus. At Lysias magnitudinem illius periculi ac belli, sin minus eodem modo, tamen declarare minime neglexit (quanquam etiam eleganter, scilicet sic ut ea, quae ab alio pro introductione dicuntur, mediae narrationi inserantur, ad ea narranda statim transiri equidem existimem): dixit enim de magnitudine Persarum exercitus, de infestis eorum mentibus atque consilio, qui civitatem perdere atque funditus delere in animo habuerint. Sed Lysiae locum apponamus: §. 20—22: *Μόνον γὰρ ὑπὲρ ἀπάσης τῆς Ἑλλάδος πρὸς πολλὰς μυριάδας τῶν βαρβάρων διεκινδύνευσαν. μόνον γὰρ ὑπὲρ ἀπάσης τῆς Ἑλλάδος πρὸς πολλὰς μυριάδας τῶν βαρβάρων διεκινδύνευσαν. ὁ γὰρ τῆς Ἀσίας βασιλεὺς οὐκ ἀγαπῶν τοῖς ὑπάρχουσιν ἀγαθοῖς, ἀλλ' ἐλπίζων καὶ τὴν Εὐρώπην δουλώσασθαι, ἐστειλε πενήκοντα μυριάδας στρατιᾶν. ἠγασάμενοι δὲ, εἰ τήνδε τὴν πόλιν ἢ ἐξοῦσαν φίλην ποιήσαντο ἢ ἀκούσαν καταστρέψαιτο, ἠδύως τῶν ἄλλων Ἑλλήνων ἄρξεν, ἀπέβησαν εἰς Μαροθῶνα, νομίσαντες οὕτως ἂν ἐρημοτάτους εἶναι συμμάχων τοὺς Ἕλληνας, εἰ ἔτι στασιαζούσης τῆς Ἑλλάδος ᾧ τινὲ χρόνῳ τοὺς ἐπιόντας ἀμύνασθαι, τὸν κίνδυνον ποιήσαντο. ἔτι δ' αὐτοῖς ἐκ τῶν προτέρων ἔργων περὶ τῆς πόλεως τοιαύτη δόξα παρειστήκει, ὡς εἰ μὲν πρότερον ἐπ' ἄλλην πύλιν ἦσαν, ἐκείνοις καὶ Ἀθηναίοις πο-*

*) Stallbaum corruptionem huius loci suspiciens scripturam mutandam ac legendum censet *εἰπεῖν* loco *ἰδεῖν*, in qua scriptura sc. *δεῖ δεῖ αὐτὴν εἰπεῖν*, ἐν ἐκείνῳ τῷ χρόνῳ γενόμενον λόγῳ, ego proprietatem sermonis desidero, et mera coniectura est, ad quam non nisi desperata vulgata confugere licet: nam libri manu scripti in vulgata omnes consentiunt. Sed optimum sensum habet scriptura librorum, et totus error natus inde videtur, quod illa *ἐν ἐκείνῳ χρόνῳ γενόμενον λόγῳ* vir doctus cum Schleiermacherso declarare putat: *ita ut oratione sua versetur*, quod falsum esse apparet ex loco illo, qui paullo inferius sequitur, quo orator ad hunc de quo quaerimus redit et haec verba respiciens dicit: *ἐν τούτῳ δὲ ἂν τις γενόμενος γνοίη*; ubi illud *λόγῳ* omittit, non facturus, si de oratione intelligi voluisset. Pugnatur etiam, quod gravius est, cum ea interpretatione illud *γνοίη*: non enim, qui oratione in aliqua re versatur, cognoscit, sed facit, ut alii cognoscant, sed is ipse cognoscit, qui mente et cogitatione in ea versatur eamque aestimat. Sensus loci est: *oportet autem eam (sc. virtutem) intueri sive considerare, in illis temporibus versantem animo, etc.*

λειψήσουσι προθύμως γὰρ τοῖς ἀδικουμένοις ἤξουσι βοηθήσοντες· εἰ δ' ἐνθάδε πρῶτον ἀφίξονται, οὐδένας ἄλλους τῶν Ἑλλήνων τολμήσειν ἐτέρους σώζοντας φανεράν ἔχθραν πρὸς ἐκείνους ὑπὲρ αὐτῶν καταθέσθαι. οἱ μὲν τοίνυν τοιαῦτα διενοοῦντο.

Ad alteram Persarum in Graeciam expeditionem et Salaminiam pugnam his paucis, profecto non nimis copiosis Plato verbis transgreditur p. 241. A. τὰ μὲν οὖν ἀριστεῖα τῷ λόγῳ ἐκείνοις (τοῖς Μαραθῶνι) ἀναδεικνόν· τὰ δὲ δευτερεῖα τοῖς περὶ Σαλαμίνα καὶ ἐπὶ Ἀρτεμισίῳ ναυμαχήσασιν καὶ νικήσασιν· καὶ γὰρ καὶ τούτων τῶν ἀνδρῶν πολλὰ μὲν ἂν τις ἔχοι διελεῖν, καὶ οἷα ἐπιόντα ὑπέμειναν κατὰ τε γῆν καὶ κατὰ θάλατταν καὶ ὡς ἠμύναντο ταῦτα. Lysias vero, quo illustrius hoc nobilissimum Atheniensium factum appareat, multa ante de imminente periculo, de hostium numero, classium magnitudine, regis in superandis ipsis naturae impedimentis pertinacia loquitur, apte sane et eleganter. Jam hoc quoque loco per verba illa καὶ γὰρ καὶ τούτων τῶν ἀνδρῶν πολλὰ μὲν ἂν τις ἔχοι, Lysian a Platone reprehendi existimant, quibus non obscure significari, Lysian haec citra elegantiam pluribus tractasse, aliumque a Platone modum, quomodo ea tractanda essent, indicari. Verum primum illa accusatio suspecta esse debet, quod id ipsum, quod hoc loco postulatur, ut brevior sit oratio, supra in Marathonica pugna vitio Lysiae datum est. Neque enim est credibile, Platonem h. l. plane contrarium reprehendere, cum praesertim illud factum et memorabilius et illustrius sit. Suspecta porro est vituperatio, quia Lysiae hic locus ita diligenter elaboratus ac politus est, ut Platonem ipsum, qua fuit elegantia, cum probasse aestimandum sit. Est autem talis. §. 27—29. Μετὰ δὲ ταῦτα Ξέρξης ὁ τῆς Ἀσίας βασιλεὺς, καταστροφήσας μὲν τῆς Ἑλλάδος, ἐφεισμένος δὲ τῆς ἐλπίδος, ἀτιμαζόμενος δὲ τῷ γεγενημένῳ, ἐχθόμενος δὲ τῇ συμφορᾷ, ὀργιζόμενος δὲ τοῖς αἰτίοις, ἀπαθῆς δὲ ὢν κακῶν καὶ ἀπειρος ἀνδρῶν ἀγαθῶν, δεκάτῳ ἔτει παρασκευασάμενος χιλίας μὲν καὶ διακοσίαις ναυσὶν ἀφίκετο, τῆς δὲ πεζῆς στρατιᾶς οὕτως ἀπειρον τὸ πλῆθος ἦγεν, ὥστε καὶ τὰ ἔθνη τὰ μετ' αὐτοῦ ἀκολουθήσαντα πολὺ ἂν ἔργον εἶη καταλέξαι τὸ δὲ μέγιστον σημεῖον τοῦ πλῆθους· ἔξοι γὰρ αὐτῷ χιλίας ναυσὶ διαβιβάσαι κατὰ τὸ στενότερον τοῦ Ἑλλησπόντου τὴν πεζὴν στρατιάν ἐκ τῆς Ἀσίας εἰς τὴν Εὐρώπην, οὐκ ἠθέλησεν, ἠγούμενος τὴν διατριβὴν αὐτῷ πολλὴν ἔσεσθαι ἀλλ' ὑπεριδὼν καὶ τὰ φύσει περνεκότεα καὶ τὰ θεῖα πράγματα καὶ τὰς ἀνθρωπίνους διανοίας ὁδὸν μὲν διὰ τῆς θαλάσσης ἐποιήσατο, πλοῦν δὲ διὰ τῆς γῆς ἠνάγκασε γενέσθαι, ζεύξας μὲν τὸν Ἑλλησπόντον, διορύξας δὲ τὸν Ἄθω, ὑφισταμένου οὐδενός, ἀλλὰ τῶν μὲν ἀκόντων ὑπακουόντων, τῶν δὲ ἐκόντων προδιδόντων. οἱ μὲν γὰρ οὐχ ἱκανοὶ ἦσαν ἀμύνεσθαι, οἱ δ' ὑπὸ χρημάτων διεφθαρμένοι· ἀμφοτέρω δ' ἦν αὐτοὺς τὰ πείθοντα, κέρδος καὶ δέος.

Quid, quod ipsa Platonis verba, nisi pro inani formula capiamus, declarant, haec commode pluribus posse narrari et digna esse quae copiosius oratione illustrentur: ut Plato Lysiae rationem potius confirmasse ac probasse, non cavillatus esse videatur. Quod autem a Lysia omissum ideoque a Platone vituperandi causa cum vi enuntiatum putatur, Persas ea victoria mari quoque a Graecis victos esse, id quidem Lysias non tam expressis verbis quam Plato memoravit, at haud multum diversa tamen memoravit; qui etiam alia dixit, quae a Platone memorata non sunt, non minus gravia ac memo-

rabilia: Atheniensium maxime opera, classe, virtute, industria, ductu illam victoriam esse reportatam, Graeciae libertatem et servatam et confirmatam; quae Platonis orationi gravitate minime cedunt, nec Platonem aut quenquam alium Atheniensium improbasse credendum est.

P. 244. E. Postquam Plato, libertate usus oratoris res exaggerandi et vel citra fidem historicam consilio suo accommodandi, civitatem Atheniensium a Corinthiis et Persis, qui infestissimi semper reipublicae hostes fuerant, ad auxilium vocatam esse exposuit et ad lubricum sane ac periculosum locum accessit, sic loquitur: *καὶ δὴ καὶ εἴ τις βούλοιο τῆς πόλεως κατηγορῆσαι δικαίως, τοῦτ' ἂν μόνον λέγων ὀρθῶς ἂν κατηγοροίη, ὡς αἰεὶ λίαν φιλοκτίρωμον ἐστὶ καὶ τοῦ ἤττονος θεραπίς.* Scilicet prudenter et callide haec dixit orator civitatis excusandae caussa, quod cum acerbissimis olim sibi hostibus Corinthiis et rege Persarum, Graeciae peste, pacti essent et quasi communem causam fecissent. Itaque sententia illa *εἴ τις* — *φιλοκτίρωμον* et aptissima et cauto oratore dignissima, quod rem illam inauditam et quae prorsus a consuetudine ac voluntate civitatis et pristinis moribus abhorreret, honesta specie occultaverit et ad misericordiam civitatis et humanitatis sensum revocaverit. Quare vix fidimus oculis nostris, quum de hoc loco tali modo disputari videmus: Quomodo tandem Platoni in mentem venire potuisset, dicere, si non certa ei res animo obversata esset, aliquem civitatem accusare posse? At huiusmodi accusatio Atheniensium inest in Lysiae expositione belli civilis, ubi Thrasybuli adversarios servitutis amicos dixit. Sed ponamus, haec verba Platonis non pro formula oratoria accipienda et certas civitatis criminationes ei obversatas esse, nemone praeter Lysian unquam de re publica questus erat et paucane erant, de quibus aliquis merito quereretur? Sed quod gravius est, Lysias civitatem nusquam in tota oratione sua accusavit, nusquam eius studia et instituta reprehendit nec illo loco de Thrasybuli reditu quicquam legitur, quod suspicionem vel significationem sive accusationis sive criminationis rei publicae contineat, prudenterque orator civitatis rem a caussa discrevit illorum, qui de publica salute prave sentirent, aut metu segnius agerent. Locum ipsum, quo hoc clarius appareat, apponam. §. 61—65. *Ἐκείνων δὲ τῶν ἀνδρῶν ἄξιον καὶ ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ μεινῆσθαι, οἳ φεύγοντες τὴν δουλείαν καὶ περὶ τοῦ δικαίου μαχόμενοι καὶ ὑπὲρ τῆς δημοκρατίας στασιάζοντες, πάντας πολέμιους κεκτημένοι εἰς τὸν Πειραιᾶ κατήλθον, οὐχ ὑπὸ νόμου ἀναγκασθέντες, ἀλλ' ὑπὸ τῆς φύσεως πεισθέντες, καινοῖς κινδύνοις τὴν παλαιὰν ἀρετὴν τῶν προγόνων μιμησάμενοι, ταῖς αὐτῶν ψυχῆς κοινὴν τὴν πόλιν καὶ τοῖς ἄλλοις κτησάμενοι, θάνατον μετ' ἐλευθερίας αἰρούμενοι ἢ βίον μετὰ δουλείας, ὡς οὐχ ἤτιον ταῖς συμφοραῖς ἀσχνόμενοι ἢ τοῖς ἐχθροῖς ὀργιζόμενοι, μᾶλλον βουλευθέντες ἐν τῇ αὐτῶν ἀποθνήσκειν ἢ ζῆν τὴν ἀλλοτριὰν οἰκοῦντες, συμμάχους μὲν ὄρκους καὶ συνθήκας ἔχοντες, πολεμίους δὲ τοὺς πρότερον ὑπάρχοντας καὶ τοὺς πολίτας τοὺς ἐναντῶν. ἀλλ' ὁμως οὐ τὸ πλῆθος τῶν ἐναντίων φοβηθέντες, ἀλλ' ἐν τοῖς σώμασι τοῖς ἐναντῶν κινδονεύσαντες, τρόπαιον μὲν τῶν πολεμίων ἔστησαν, μάρτυρας δὲ τῆς αὐτῶν ἀρετῆς ἐγγυὲς ὄντας τοῦδε τοῦ μνήματος τοὺς Λακεδαιμονίων τάφους παρῆγονται. καὶ γὰρ τοὶ μέγαλην μὲν ἐντὶ μικρᾶς ἀπέδειξαν τὴν πόλιν, ὁμοιοῦσαν δὲ ἐντὶ στασιαζούσης ἀπέφηναν, τείχη δὲ*

ἀντὶ τῶν καθηρημένων ἀνέστησαν. οἱ δὲ κατελθόντες αὐτῶν, ἀδελφὰ τὰ βουλευόμενα τοῖς ἔργοις τῶν ἐνθάδε κειμένων ἐπιδεικνύοντες, οὐκ ἐπὶ τιμωρίαν τῶν ἐχθρῶν ἀλλ' ἐπὶ σωτηρίαν τῆς πόλεως ἐγράποντο, καὶ οὐτ' ἐλαττωσθαι δυνάμενοι οὐτ' αὐτοὶ πλεόν ἔχειν δεόμενοι τῆς μὲν αὐτῶν ἐλευθερίας καὶ τοῖς βουλομένοις δουλεύειν μετέδωσαν, τῆς δ' ἐκείνων δουλείας αὐτοὶ μετέχειν οὐκ ἤξισσαν. ἔργοις δὲ μεγίστοις καὶ καλλίστοις ἀπελογήσαντο, ὅτι οὐ κακίᾳ τῇ αὐτῶν οὐδ' ἀρετῇ τῶν πολεμίων πρότερον ἐδυστύχησεν ἡ πόλις· εἰ γὰρ στασιάσαντες πρὸς ἀλλήλους βία παρόντων Πελοποννησίων καὶ τῶν ἄλλων ἐχθρῶν εἰς τὴν αὐτῶν οἰοί τ' ἐγένοντο κατελθεῖν, δῆλον ὅτι ἠσθλῶς ἐν ὁμο- νοῦντες πολεμεῖν αὐτοῖς ἐδύνατο.

Menex. pag. 239. B. Εὐμόλιον μὲν οὖν καὶ Ἀμαζόνων ἐπιστρατευσάντων ἐπὶ τὴν χώραν καὶ τῶν ἐπιπροτέρων ὡς ἡμύναντο, καὶ ὡς ἤμυναν Ἀργείοις πρὸς Καδμείους καὶ Ἡρακλείδαις πρὸς Ἀργείους, ὃ τε χρόνος βραχὺς ἀξίως διηγήσασθαι, ποιηταὶ τε αὐτῶν ἤδη ἰκανῶς τὴν ἀρετὴν ἐν μουσικῇ ὑμνήσαντες εἰς πάντας μεμνήσκασιν. Hic locus simplicissimum et verissimum habet explicatum, si ita accipimus, ut ex pervulgato illo artificio oratorio dictum putemus, quo quae silentio praetermittere nolumus et pluribus commemorari non patitur ratio orationis nostrae sic breviter atque quasi in transcurso attingimus. Et tamen suspicantur, his quoque verbis Lysiae vituperationem contineri. Sed ut concedatur, quod secus habet, Platonem illis verbis vere significasse, haec fabulosa et incerta ab tali oratione, ut quae in luce historiae et veritatis versari deberet, segreganda et excludenda fuisse, talis est huius loci ratio, ut omnino ad omnes oratores, qui has res in orationibus suis tractarant ac laudibus ornarant—nam Lysian eas primum et unum tractasse quis credat?—pertineat. Quid, quod haec in Lysian minime transferri possunt, quum is ne verbo quidem de Eumolpo nec de iis, quos Plato in commune verbis τοῖς πρότερον significavit, sit locutus. Itaque haec argumentatio merito inverti potest, atque ita concludi: hunc locum non in Lysian dictum esse, quia hic orator eas res, quas in huiusmodi oratione tractari Plato vituperare dicatur, non omnes tetigisset, atque inde sequi, ut Plato illis verbis, si quem spectasset sive respexisset, alium vel alios oratores ob oculos habuerit. Sed vera ratio videtur, ut ante dictum est: Plato quum quidquid ad laudem civitatis pertineret, tangere atque complecti vellet ne fabulosa quidem vetustate omissa, et tamen ad reliqua festinaret, nota illa formula usus est oratoria, ac se ea silentio praetermittere dixit; neque magis his verbis a Platone carpitur Lysias, quod unum et alterum horum locorum copiose explicavit, quam ab Thucydide, qui eadem formula usus est, vituperatur, quod omnino tetigerit, cum ipse Thucydides omnem prorsus rerum gestarum narrationem in epitaphio suo vitaverit.

Alter excitatus est locus huic non dissimilis. Menex. p. 242. A. Εἰρήνης δὴ γενομένης καὶ τῆς πόλεως τιμωμένης ἦλθεν ἐπ' αὐτήν, ὃ δὴ φιλεῖ ἐκ τῶν ἀνθρώπων τοῖς εὖ πράττουσι προσπίπτειν, πρῶτον μὲν ζῆλος, ἀπὸ ζήλου δὲ φθόνος, ὃ καὶ τήνδε τὴν πόλιν ἄκουσαν ἐν πολέμῳ τοῖς Ἕλλησι κατέστησεν. Lys. §. 48. Ὑστερῶν δὲ χρόνων Ἑλληνιστοῦ πόλεμον καταστάνας, διὰ ζῆλον τῶν γεγενημένων καὶ φθόνον τῶν πεπραγμένων μέγα μὲν ἅπαντες φρονοῦντες, μικρῶν δ' ἐγκλημάτων ἕκαστοι δεόμενοι κ. τ. λ. Et illis Platonis verbis notari Lysian crediderunt. Ac similitudo horum locorum negari

non potest. Sed triplex eadem recte obiicitur suspicio. Numquid per iocum a Platone Lysiae verba et sententiam h. l. reddi putemus? At veram ac seriam esse Platonis orationem apparet. Atque si irridere hanc Lysiae dictionem vellet, iisdem, quo manifesta irrisio foret, uti verbis debebat. Denique quid quaeso habet ista oratio, quod merito illudi ac notari possit? Vera ratio videtur: cum Plato post Lysian eandem rem attingeret, sive casu, sive quod Lysiae oratio animo eius recenti ab illius lectione obversaretur, in similia quoque incidit verba. Atque audacter contendo, etiam ab aliis eadem verba de ea re usurpata iam ante esse et vero posthac omnem, qui e Thucydidis opere didicerit, invidia et mala aemulatione pestiferas illas contentiones ac discordias inter rem publicam Atheniensium et Peloponnesios esse conflatas, iisdem verbis, si proprie et vere narrare velit, esse usurum.

Plato, ut supra dictum est, in oratione sua ex more in laudationibus consueto (Lys. §. 1.) res gestas Atheniensium, quae quidem ad laudem civitatis pertinerent, usque ad sua tempora breviter percurrit, quibus expositis nota illa formula sive locutione concludit: *καὶ τὰ μὲν ἔργα ταῦτα τῶν ἀνδρῶν τῶν ἐνθάδε κειμένων καὶ τῶν ἄλλων ὅσοι ὑπὲρ τῆς πόλεως τετελευτήκασιν πολλὰ μὲν τὰ εἰρημένα καὶ καλὰ, πολὺ δ' ἔτι πλείω καὶ καλλίω τὰ ὑπολειπούμενα· πολλὰ γὰρ ἂν ἡμέραι καὶ νύκτες οὐχ ἱκανὰ γένοιτο τῷ τὰ πάντα μέλλοντι περαινεῖν.* P. 246. A. Est haec conclusio et oratio vulgaris et usu tritissima. Eadem exstat in oratione Lysiae, ut qui easdem res tractaverit et cuius tota fere oratio in illa narratione versetur, eo tantum discrimine, quod Lysias ea formula bis usus est, primum in ipso exordio, et deinde in fine potioris partis narrationis suae, aliquanto tamen mutatis verbis, quo varia esset oratio, utroque autem loco percommode et apte et eleganter usus est. Atque eadem dictione multi quoque alii oratores omni tempore, si argumenti ratio illud posceret aut ferret, usi sunt. Itaque mirari licet eos, qui Platonem affirmant hac similitudine orationis Lysianae usum esse, ut oratorem illum propter usum illius formulae respiceret. Namque aut serio sic Platonem locutum censendum est, aut per iocum, ut Lysian imitatione pravitatis cavillaretur. Si serio, omnis suspicio reprehensionis aut acerbae allusionis tollitur; si quidem quod ipse in eadem re consulto ac volens diceret, et elegans esse iudicaret, fieri non potest, ut simul in alieno vituperare voluerit. Sin autem per iocum et ironiam, primum quaerendum erit, numquid vitii illa oratio, qua vel praestantissimi et elegantissimi oratores ac poetae usi sunt, aut omnino aut certe illis quidem locis Lysiae habeat, quod nemo affirmaverit. Ac tum eodem prorsus sermone, iisdem verbis et sententiae conformatione loqui debebat, ut quilibet statim Lysianam rationem et orationem distincte agnosceret. Nunc autem illa oratio et verbis et verborum conclusionem et ipso quoque loco ac sede a Lysiana differt. Praeterea nonne hoc posito ipsa haec Platonis oratio sive laudatio ioculatoria esset habenda, quae ironiae et acerbitalis suae tela in alios oratores vel in unum Lysian, quocumque modo ac loco posset, contorqueret? quod affirmare absurdum foret. Nam ut sermo ille inter Socratem et Menexenum, qui ipsam orationem antecedit, perpetua festivitas et Socratica illa dissimulantia distinctus atque conditus est: sic ipsa oratio, quae eum sequitur, nullo non loco et severitatem et altiore oratoris finem animumque

declarat. Neque aliter de eo iudicavit populus ille Atheniensis doctus sane et elegans. Itaque cum posterioribus temporibus, quum decora ingenia, qui facundia sua civitatem ornarent, deesse coepissent, et tamen illud publicum festum in memoriam mortuorum pro patria etiamtum celebraretur, partim ut videtur veneratione praestantis ingeni Platonis, partim, quod copiosiore et uberiore civitatis laudem, quae quidem concionis auribus apta esset, non haberent, hanc orationem, teste Cicerone, quotannis publice recitari iusserunt, profecto non facturi, si eam e iocis et seriis inepte mixtam atque conflata existimassent. Ut verbo dicam, de irrisione Lysiae hoc loco non est cogitandum idque omne in optimi oratoris vituperationem atque contumeliam inventum est: neque quicquam illa dictio est aliud, quam illa figura rhetorica, qua oratores in huiusmodi oratione commode et eleganter utuntur.

Tertia similitudo excitata est. Plat. Menex. p. 239. A. ὄθεν δὴ ἐν πάσῃ ἐλευθερίᾳ τεθραμμένοι οἱ τῶνδὲ τε πατέρες καὶ ἡμετέροι καὶ αὐτοὶ οὔτοι καὶ καλῶς φῦντες πολλὰ δὴ καὶ καλὰ ἔργα ἀπεφῆγαντο εἰς πάντας ἀνθρώπους καὶ ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ. Lys. §. 20. Καὶ γὰρ τοὶ καὶ φῦντες καλῶς, καὶ γρόντες ὅμοια, πολλὰ μὲν καλὰ καὶ θαυμαστά οἱ πρόγονοὶ τῶν ἐνθάδε κειμένων εἰργάσαντο· ἀείμνηστα δὲ καὶ μεγάλα καὶ πανταχοῦ οἱ ἐξ ἐκείνων γεγονότιες τρόπαια διὰ τὴν αὐτῶν ἀρετὴν κατέλιπον. Sed eum omnem orationem Platonis seriam esse, non ioculatoriam constet, quicquid ista dictio peccati haberet, id omne pari modo in Platonis orationem caderet, nec Platonem consilio et studio peccasse putandum est. Quod autem inversa ratione eum tales dictiones rectas iudicasse statuunt ideoque retinuisse, reliqua omnia, quae apud Lysian vitiosa iudicasset, mutasse, emendasse, dilatasse, coartasse ac refecisse, huic sententiae tota repugnat oratio. Quis enim adeo ineptiat, ut nonnisi tres illos locos, neque hos quidem totos, in elegantissima Lysiae oratione probasse Platonem existimet? Ac vide, ne illud potius negotium magistri sit, sic adolescentulorum scripta emendantis ac reficientis.

Quodsi quae hactenus pertractavimus parum probabilia sunt ad efficiendum, ut Menexenum contra Lysiae laudationem scriptum putemus, compluria porro in ipsis Socratis verbis sive dialogo insunt, quae ei sententiae repugnant et in contrariam partem afferri possunt. Ac primum illud est, quod supra tetigimus et quod summi est in hac re momenti, Socratem in sermone sive dialogo, quo oratores illuduntur, non de uno et certo quodam sive Lysia sive alio quocunque, sed de toto genere loqui; neque ita comparatam atque conformatam esse orationem, ut, quod saepe fit, in commune quidem dicatur, sed unus quem omnes norint significetur, verum omnino omnia omnium oratorum vitia, praestigia et artificia quibus in talibus orationibus utantur, irrideri. Eodem et illud pertinet: Socrates Menexenum redeuntem e curia, ubi orator constitui debebat ad instans festum, in honorem eorum, qui pro patria pugnantes occiderant et in Ceramico sepulti erant, celebrandum, interrogat, qui delectus orator sit, respondet Menexenus, nullumdum delectum, sed rem dilatam esse, „suspicio tamen, pergit, Archinum constitutum iri vel Dionem.“ Ex quo loco non immerito conicias, quando hos duos oratores prae ceteris nomine compellet, in eos etiam orationem sive cavillationem, quae statim sequitur, potissimum tendere debere. Sed tamen hoc non nimis urgendum est;

quanquam habuisse Platonem, cur hos praecipue de toto illo grege nunc appellaret, negari non potest. — P. 235. A. carpit Socrates horum oratorum affectatum studium luminum ac pigmentorum oratoriorum: quo vitio Lysiae oratio minime laborat: a qua praeter verum illum ornatum, quem genus epidicticum sive demonstrativum et copiosiorum et maiorem admittit, figurarum abusus, artificiosae verborum conclusiones et inanes lusus et omnino falsus omnis quem Plato ibi in animo habet fucus feliciter abest, et proprius ubique huius oratoris candor nativaeque simplicitas ac sobrietas tam in verbis quam in sentiis totoque colore ac habitu orationis conspicitur. — Ibidem Socrates porro iocatur, oratores in laude sua civitatis adeo nimios esse modumque excedere, ut ipsos quoque, qui viverent, placendi scilicet causa, laudarent (*καὶ αὐτοὺς ἡμᾶς τοὺς ἐν ζῴντις ἐπαινοῦντες*). Neque illa orationem Lysiae attingunt, cuius oratio nihil continet, quod ad aequalium laudem praecipue pertineat, quae omnis est in rebus gestis et illis viris, qui novissimi, apud Corinthum, pro patria occiderant, illustrandis, neque ad exemplum Thucydidis ac Platonis simul etiam propemodum omnia alia civitatis bona, generis nobilitatem, terram, instituta, alia collaudavit. — Neque vero illud ad Lysian spectat, quod Socrates iocatur, habere hos oratores orationes iam ante quam deligerentur paratas: ut si brevi tempore ante festum illud constituti essent, maiorem dicendi laudem haberent, si eas intra paucorum spatium dierum confecisse viderentur. Quid enim? Lysian, tam felici ac fecundo ad dicendum ingenio oratorem, tanto usu et experientia, qui in foro et iudiciis quotidie versaretur, qui toties in celeberrimis causis vicisset, interque tot doctos oratores apud elegantissimum sane populum Atheniensem summa facundiae laude floreret, qui tam accurate civitatis antiquitatem, mores, leges, instituta, vitam publicam et domesticam nosset, immo percursam animo atque pertractatam haberet, talem tantumque oratorem diu ante delectum, qui incertus esset, sollicite circumspexisse atque operose undique putemus conquisivisse, quid si ipsi hoc munus deferretur, esset dicturus? Profecto haec non in Lysian dicta sunt, sed in ieiunos illos et ridiculos de plebe oratores, qui illud dicendi munus cupidissime appetent atque illa spe diu ante in orationibus conficiendis misere desudarent atque elaborarent.

Unus restat locus, excitatus a Schleiermachers (§. 71—73.), qui lamentationem et querimonias de mortuorum apud Corinthum patribus, uxoribus ac liberis continet. Hic primum a Platonis oratione ad parentes ac liberos plane discrepat ac prope ei contrarius dici potest. Nam dum Lysias cum lugentibus luget et cognatorum iustissimum dolorem ob tam praeclaros viros amissos finem habere non debere dicit; Plato contra disertis verbis non lugendos sed felices praedicandos dicit et consolatur eos et virili ac forti admonitione eorum animos erigit atque confirmat. Accedit, quod gravissimum est, ut lamentatio illa Lysiana mollior ac flebilior, ac prope dixerim iusto demissior ac humilior esse, itaque merito vituperanda videatur. Verum quum haec minima orationis sit particula et reliqua illi sententiae minime faveant, cavendum est maxime, ne huic unico loco nimium momenti tribuatur, qui ad summum illud efficeret Platonem, cum illorum oratorum omnium vitia reprehenderet atque corrigeret, nec ipsi quidem Lysiae illo

loco pepercisse. Ceterum illud quoque in censendo eo loco spectari debet, Lysiae orationem vere habitam recenti civitatis super illis caesis luctu ipsis cognatis praesentibus, et scriptam esse ad actionem, quod aiunt, et pugnam, cum Platonis in umbra scholae et magis speciminis causa compositam esse constat.

Jam ad finem disputationis nostrae pervenimus, cuius brevis summa talis est: sententiam illam virorum doctorum, Menexenum Platonis contra Lysiae laudationem sive epitaphium scriptum esse, idoneis omnino argumentis ac probabilitate carere. Nullum apud Platonem exstat vestigium huiusmodi consilii aut voluntatis, neque in ipsa Platonis oratione praeter unum fortasse locum quicquam, quod Lysian spectare certo appareat, reperitur, neque vero in sermone, qui prope totus est in vitiis oratorum percensendis; nisi sensum verborum plane detorquere volumus. Suspecta et incerta sunt argumenta, quae ex orationis principio, ex ordine, ex dispositione, ex argumento eiusque tractatione, ex singularum sententiarum similitudinibus ac dissimilitudinibus repetita ac proposita sunt, ac compluria quoque insunt in Platonis verbis, quae illi sententiae repugnant. Sed Platonis libellus scriptus esse videtur contra totum genus oratorum, qui hac dicendi occasione contra mentem et institutum maiorum in vanitatem et ad populo blandiendum abuterentur atque in eo studio prava sua consilia et dicendi inopiam male occultarent. Quae autem est inter illas orationes diversitas, ea repetenda atque intelligenda est omnis tum e diversitate ingenii illorum virorum et voluntatis dicendi, tum ex eo, quod Plato, ut post Lysian et tot alios praestantes oratores faecundiae famam in oratione sua tueretur ac probaret, aliud circumspicere argumentum aliamque illud tractandi et explicandi viam, quam qua antecessores essent usi, invenire debebat.

Ceterum miram admodum, si reputamus animo, ac singularem Lysias ab doctis expertus est critice, quo id probabile redderent, quod animo conceperant: nunc enim si quid dixit, quod idem dixit Plato, vitio ei vertitur, quod dixerit, nunc rursus, si quid, quod Plato habet, non dixit, vituperatur, quod non dixerit, nunc si quid simile habet aut dissimile, ex similitudine ac dissimilitudine vituperatio repetitur, nunc si quid uberius quam Plato explicavit, copia illa probro ei vertitur, rursus si quid brevius dixit, ipsa brevitatis vitiosa iudicatur. Neque illud satis animadversum est, non dico quid de huiusmodi iudicio Platonis, elegantissimi scriptoris, sentiendum esset, sed in quam turpe monstrum illa critice optima Platonis oratio detorqueretur atque distraheretur. Namque olim eruditissimorum hominum opinio fuit, seriam esse, non ioculatoriam orationem eamque a philosopho pro specimine propositam esse, quo, qualis huiusmodi oratio esse deberet et quid ipse in illo genere valeret, ostenderet. At si illud verum esset, quod affirmant, Lysian in omni libello spectari, eumque ubique perstringi, vide, quid Platonis oratio evaderet: quae nusquam libero et suo cursu flueret, sed Lysian nusquam non circumspiciens atque respiciens nugae aucuparet, et nunc seria nunc ioculatoria promeret, nunc longior nunc brevior, quam ille, esset, hic aliis, illic rursus iisdem verbis, sententiis, dictionibus uteretur, nulla in parte sibi similis et constans, nisi ea, quod illum illudere atque corrigere tentaret.